



502.

DISSERTATIO EPISTOLARIS HISTORICA,
DE
PILEO SEV BIRRETO,
SACRAE DIGNITATIS, INSIGNI,

31

QVA
VIRO MAXIME REVERENDO, DOCTISSIMO,
DOMINO
MARTINO GRVLICHIO,

PASTORI ECCLESIAE TORGAVIENSIS PRIMARIO,
EIVSDEM DIOECESEOS CIRCVMACENTIS SV-
PERINTENDENTI, LYCAEIQVE TORGA-
VIENSIS INSPECTORI,

AMICO SVO INTEGERRIMO,

BIRRETVM DOCTORALE THEOLOGICVM,
VT SACRAE DIGNITATIS INSIGNE,
VITEMBERGAE D. XIX. NOV. MDCCXLIV.
SOLENNI RITV CAPESSENTI,

EX ANIMO GRATVLATVR,

RVDOLPH. FRID. DE VVICHMANNSHAVSEN,
PASTOR LIEBENVVERDENS. ECCLESIAE
EIVSDEMQUE DIOECES. SVPERINT.

TORGAVIAE, LITERIS PETERSELLIANIS.

H. D. Henning





*VIR, muneris gravitate maxime Reverende,
purioris doctrinae praestantia perquam docte,
Frater & amice in Christo dilectissime!*

Est non fucati animi indicium, in secunda, quae amicis obtigit, fortuna, laetitia de rerum prosperitate declarare suam. Quid ergo, VIR MAXIME REVERENDE, mihi unquam contingere potuisset optatius, quam cum litteris, quas nuperrime dedisti amantissimis, me feceris certior, de *TV A Doctorali*, per *Birretum*, **TIBI** solenni quidem ritu Vitemberge imponendum, ex merito capiendae summa in Theologia dignitate? Divinam, quae cuncta gubernat, providentiam hic animadverto, *TV AM* meritorum praestantiam atque animi, in gravissimo sacro munere obeundo, probitatem, clementissime remunerantem. Hinc jure meritoque evenit, ut **TIBI**, aliquot mensibus interjectis, ad hunc gradum condescendendi *licentiam*, omnium applausu, egregiis editis speciminibus nacto, hi summi in Theologia honores more majorum conferantur. Haec mihi consideranti, eo magis gaudendi **TIBI**que amico integerrimo gratulandi, praebent occasionem. *TVVS* enim in me animus plane singularis amicitiaeque integritas, amoris quoque erga **TE** mei ardorem inflammavit, **TIBI** optima quavis, de insigni honorum accessione ex animo apprecandi, ne ingratae mentis macula laborare amicitiaeque nostrae oblitus videar.

Quae cum ita sint, dabis veniam, **VIR MAXIME REVERENDE**, quaedam, pro temporis angustia, qua muneris gravitate includor, de *Pileo* seu *Birreto sacrae dignitatis insigni* conquisita, **TIBI**, in amicitiae & congratulationis tessera in praesens communicare.

§. I.

Amplissimae semper dignitatis atque honoris, inter gentes antiquissimas, pileorum, varii generis usus, fuit indicium. Inter omnes enim corporis humani partes, caput in primis attendere solemus, ut in eo conservando atque custodiendo, ab imminentibus praemunire periculis, pileorum usu sumus solliciti. Hinc veteres peregrinantes, Petaso caput ob aestus, pluviae aliasque coeli injurias tegere, ab antiquissimis temporibus consueverunt. Sicut *Suetonius* commemorat, Augustum Caesarem

Pileorum
usus dignita-
tis & hono-
ris indicium.

domi quoque, non nisi petasatum sub divo spatari fuisse solitum. Sed non minus peculiarem dignitatis & eminentiæ gradum, pileorum usum indicare ex Antiquitate satis superque edocemur.

§. 2.

Pileus, præter coronas Deorum, quoque gentilium ornamentum capitis habetur.

Neminem fugit Deorum gentilium capita, aut coronis cincta aut galea pileoque munita, aut velo atque mitra inclusa reperiri. Videmus hinc non *lauream* solum Coronam Appollini sacram; coronam *spicatum*, ad Cererem pertinentem; *floream*, Deum floram; *bederaceam* aut ex pampino formatam, Bachum; *radiatam* Phoebum condecorantem. Sed recordamur quoque *Galeæ* Marti impositæ æque ac Minervæ noctua exornatæ. *Petasi* porro *alati*, Mercurii, atque *Pilei sine margine*, Castoris & Pollucis ornamentum atque indicium: *Pileus* autem *Phrygius* in acumen assurgens, retro curvatus, Deo qui Lunus appellabatur, erat dicatus.

§. 3.

Pileorum usus in Imperatorum numis, cum variis coronarum generibus reperitur.

Dedit hanc, ait Plinius, Augustus, coronam civicam Agrippæ quam a genere humano accipit ipse.

Constat insuper ex re numaria, capita Imperatorum in numis, quæ quandoque nuda, ut Imperatorum filii, vel adoptivi inveniuntur, multoties quoque certo modo vestita reperiri. Non utebantur enim solum corona *laurea*, *Julio*, a Senatu primitus concessa, *radiali*, ut in numo *Pertinacis*, *Hadriani* & aliis, tanquam Symbolum divinitatis, *rostrata*, rostris composita, qualem accepit *Agrippa a Cesare*, victa *Pompeji* classe virtutis bellicæ insigne, *murali*, civitatum expugnatores, qua etiam conspicua videtur Dea *Cybele*, *Civica*, foliis querceis composita, quæ *ob civis Servatoris* dabatur, & imprimis ab Imperatoribus amabatur. *Antinoëta* tandem, ex lolio nexa, quam *Hadrianus* invenit in honorem *Antinoi* & in ejus numis conspicitur. Sed *pileo* quoque, quem *Apicem* nominabant, Pontificis maximi insigni exornabantur, ut ut etiam corona Sacerdotalis *ΑΠΙCΤΗ* dicta, magni tunc temporis æstimabatur, quam in numo *Augusti* solenni, quem *Medallion* vocant, cum Pontifex maximus designaretur, videre licet. Vid. *Jobert de Notitia Rei numariæ*. *Diadema* insuper, capitis ornamentum textum, non æqualiter latum, retro in nodum colligatum gemmisque distinctum Regibus antiquis ut *Pileus majestaticus* erat proprium. Ejus frequentior usus a tempore *Constantini* M. invaluit, quo tempore etiam *Augustæ* illo coronatæ in Numis observantur, & in basso ut vocatur Imperio, quod incipit a tempore triginta tyrannorum *Gaieno* & *Valentiniani* regnantibus, cum Imperium altum cum

cum Julio coeptum finiretur, Imperatoribus tandem omnibus commune fuit factum.

S. 4.

Multa porro de *pileis* apud Orientales summae dignitatis maxime Pileus summae dignitatis signum apud Orientales. Insignibus possent allegari, nisi instituti ratio aliud postularer. Vid. *Bticius* de Pileo. Pauca adjiciemus. Nota est *Mitra* Regum Armeniae & Syriae, cujus forma apparet in Numo *Abgaris*, Regis Edessa. *Tiara*, corona Persica e cujus medio eminet *apex* seu *pileolus* coloris purpurei, cujus figuram æri incisam adjecit *Tavernarius* in Itinerario Turcico, quem allegat Dn. *Martin Schmeizel* de Coronis C. II. Art. 1. p. 161. *Tiaram* Turcicam, quam Turban vocant, explicat *Paul Pater* in epistola, Insignia Turcica illustrante. Jen. 1650. De Pileo regali *Sinensium Chami* agit *Motinius* in Histor. de Bello Tartar. p. 31. sequi. ubi sequentia verba leguntur relata: *Birretum capiti aequale rotundum gerit ut humile, hoc pretiosa pellis fascia per circuitum ambit ad duorum vel trium digitorum latitudinem* &c. Vid. *Schmeizel* l. c. p. 162.

S. 5.

Et quis ignorat Principum Electorum Germaniae habitum, ad fingularem eorum Eminentiam indicandam, consistere in *Pileo* seu *Birrezo* atque toga purpurei coloris, hermelinis ut vulgo vocantur, subtilibus quem delineavit *Mameranus*, in Histor. Investiturae Mauriti Saxonis Hunc allegat & excerpfit ejusdem verba Dn. *Adrian Steger* in exaesciata Dissert. de Purpura Sacrae dignitatis insigni p. 66. Hic ibidem recenset, ex Actis Cominorum a Maximiliano I. Vormatiae Anno MCCCCIV. habitorum, vestrum quoque Magnatum Ducum, *pileo* & *pallio* ornatorum. Ein herzoglich Kleid war ein rother Atlasner Mantel, und unter demselben Mantel ein rother Rock. Auf dem Haupte ein rother Atlasener Herzogs-Huth. Conf. *Limnaeus* T. IV. addit. ad Libr. IV. Cap. VII. 23. & *Biccus* de Pileo C. II. Th. 4. Inter *Pileos* vero Ducum Germaniae praë alius eminet & primum occupat locum, *pileus Archiducis Austriae* rubei coloris, radiis ornatus & circulis in superiore parte coeuntibus. Olim quidem dicitur hic *pileus* fuisse *vulgaris* & sine ornamentis ut reliquorum Principum, successu autem temporis, inprimis *Serto pinato aureo* a *Friderico Barbarossa Imperatore* A. 1156. adjecto immutatus & condecoratus, de quo Vid. *Limnaeus* & *Jo. Henr. Feltz*, in dissert.

Austria Princeps, seu de Augustissimæ domus Austriacæ Juribus; prærogativis illustrioribus, Argent. 1721, & alii, quos citat laud. *Dn. Adrian Steger*, in eleganti, supra citata Dissertat. de Purpura Sacræ dignitatis insigni p. 69.

§. 6.

Pileorum
usus inpri-
mis in Sacer-
dotii hono-
rem, apud
Sacerdotes
gentiles.

Non vero dignitatis atque honoris tantum Secularis indicium erat *Pileus* seu *Birretum*, ut docent antiquissima Historiæ munimenta, sed sacrae quoque dignitatis & Sacerdotii habebatur, insigne. Hoc comprobatur antiquissimus *pileorum* usus apud *Sacerdotes Syros & Phoenicenses* in cultu Deæ Syriæ, ut pluribus explicat *Lucianus* in peculiari libello de Dea Syria p. 670. scribeus: Εδης δε αυτευσι πασα λευκη και Πιλον επι τη κεφαλη εχασι, αρχιερεως δε αλλον εκουσα ετεος επιγρηγεται. πορφυρεην δε μανος ετος φορει και τιαρη. χρυση αναδυεται. *Vestis ipsa tota est candida pileumque in capite gestant. Summus autem Sacerdos quotannis alias surrogatur, qui solus purpuream gerit vestem & aurea Tiara redimitur.* Varia vero *pileorum Sacrorum* apud veteres fuerunt genera, præfertim quatuor. *Apex* nimirum fastigiatum acuminatumque pileorum sacrorum primum genus inter reliqua eminebat. In hujus Summitate virgula oleaginea erecta & aliquid lanæ erat ei adnexa, ut docet *Phil. Rubenius* Elect. Lib. II. c. 25. & *Dionysius Halicarnassæus* de Saliis Lib. II. Græcos *apicem* appellasse *Κυρβοσια* a *κυρβις* tabula triangulari in Pyramidis modum extracta, testatur *Dionysius* loc. cit.

Romani *Apicem* usurpabant duplicem, alterum *Flaminium*, alterum vero *Pontificum* aut aliorum Sacerdotum, de qua re *Servius* ad *Æneid.* VIII. v. 664. Et tanti quidem hoc capitis ornamentum aestimabatur, ut sine *Apice* in publicum prodire nefas haberetur, teste *Gellio* in Noct. Att. L. X. l. 15. qui legem hac de re allegat hujus tenoris: *Sine. Apice. sub. Divo. esse. Nefas. esto. Sub. Tecto. uti. licet.* *Apicem* excipit *tutulus* metæ figuram habens, de quo *Suetonius Tranquillus* scribit, eo *Flamines & Pontifices* fuisse usos. *Galerus* tertium erat pileorum genus, in modum galeæ, forma rotunda, cujus descriptionem subministrat *Gellius* in Noct. Att. L. X. C. 15.

Infula tandem in modum diadematis, capitis tegmentum, erat usitatum, a qua vittæ ab utraque parte dependebant, quæ interdumque erat lata, plerumque tortilis, de albo & coeco. Vid. *Servius* ad *Virg. Æneid.* X. 583. *Cicero* Orat. I. de lege Agraria scribit: *His insignibus atque Infulis*

fulis Imperii venditis, quibus ornatam vobis majores vestri rempublicam tradiderunt. Conferatur Dn. Adrianus Steger in elegantissima commentatione: De Infulis sacra dignitatis insignibus.

§. 7.

Quodsi a pileis sacris gentilium sacerdotum insignibus discedamus, occurrit inter alia, quæ Moles Aaroni fratri suo Pontifici Ebræorum summo confici curavit vestimenta, *Pileus Pontificalis*, singulare ejus capitis ornamentum quod מצנפת *Tiaram* vocarunt, cujus divinæ originis mentio injicitur Exod. XXVIII. v. 4. 37. Peculiare & Pontifici summo proprium, significat capitis tegmentum, quod a radice, צנף volvere, circumvolvere, circumdare, caput ejus ambiendo & involvendo regit. Et ob eminentiorem, qua reliquis sacerdotibus plurimum corruscabat, dignitatem, etiam quoad *Tiaram* suam Pontificalem, a reliquis mitrarum sacerdotum gregariorum ornamentis, præcipue per sanctitatem, fronti ejus impressam, sese maxime distinguebat. Erat vero ציץ lamina, duos digitos lata, frontem ad aures usque cingens. *Corona Sancta* nominabatur ob קדש ליהוה, de qua multum disquirunt Interpretes, utrum Sanctitatem quandam insitam noter, an vero Sensum habeat typicum, ad Sanctitatem *Christi Summi Pontificis Novi Testamenti* relatam. Ad posterius inclinat D. Franc. Burmannus App. Bibl. ad h. l. Exod XXVIII. 36. Hæc lamina ad *tiaram Pontificiam* vitta hyacintina adstringebatur, unde Græcis διαδημα nominabatur. Vid. Jo. Henr. Osbo Lex. Rabbin. Tit. Sacerdos. Legatur de hoc argumento ulterius Braunius de Vestitu Sacerd. L. I. & II Wulfus in Miscell. S. Wichmannsbausen de *Tiara Summi Sacerdotis* & M. Henr. Andr. Toepfer de *Tiaris Minorum Sacerdotum* Vitemb. 1722.

Tiara summi Pontificis Ebræorum & minorum Sacerdotum.

§. 8.

Cum ergo *pileorum Tiara* atque diversarum *mitrarum* genera inter venerandæ dignitatis insignia, a primis ferme temporibus floruerint, Pontifex Romanus, ad suam præ reliquis significandam dignitatem, inter alia Insignia Pontificalia, *mitram Phrygiam* seu *tiaram*, in æmulationem Imperatorum gentilium Romanorum excogitavit Vid. Polyd. Virgil. de Invent. Rer. C. 7. & imprimis. Theod. Hopping. de Jur. Insignium C. 2. sect. III. Sciendum vero est, primis seculis, clericos a laicis nullis vestimentorum generibus nec certo habitu fuisse distinctos. Hæc libertas mansit integra, usque ad seculum V. Nam Coelestinus, tunc temporis Roma-

Pontificis Romani Mitra Phrygia seu Tiara.

Romanorum Pontifex, scribit. an. 428. ep. 2. illo tempore, ne quidem episcopos, externo habitu a ceteris christianis fuisse distinctos, addit optime, clericos maxime discernendos esse a ceteris doctrina, non vestimentis puritate, non cultu. Cum vero eo tempore clerici omnes ferme Romani viderentur, cum toga romana etiam capitis tegumentum ejusdem gentis, sacerdotibus olim consuetum, sumserunt & retinuerunt. In primis vero Pontifex Romanus, in venerandæ antiquitatis æmulationem, capiti suo *Tiaram* imposuit, quæ usque ad Bonifacium VIII, unico saltem coronamento, a Bonifacio VIII. usque ad Urbanum V, cum duplici, ab Urbano V, ad hoc usque tempus triplici videtur condecorata. Comp. Anton. *Pagi* T. IV. Breviarii Pontific. Roman. sub *Urano* V. Num LVI. Edit. Antverp. MDCCXVII. seqq. *Sixtum* II. Pontif. Rom. integro suo vestitu indutum siltit imagine æri incisa, Theologus in omni antiquitate veratissimus. b. D. *Urb. Godofr. Siberus* in *S. Sixti Enchiridio* Lips. MDCCXXV.

S. 9.

Galerus
Cardinali-
tius, seu Bir-
retum Pur-
puratorum.

A Pontifice Romano, ad Cardinales, *Birretum*, capitium alias Pontifici proprium, ut loquitur Carol. *du Fresne* in Glossario ad script. Med. & Inf. Latin. ad h. v. pervenit, in eminentiæ peculiaris Signum. Primus habetur inter Pontifices *Innocentius* IV. qui Cardinales jure, pileum rubrum seu *Birretum* capite gerendi, donavit, hocque Cardinalium insigne, in Concilio Lugdunensi, Anno MCCXLV. habito, publice decrevit atque confirmavit, uti refert Nic. *de Curtio*, in Vita Innoc. IV. Pontif. Rom. Marp. 1738. Sequenti autem ætate, cum reliqui antistites, præter Cardinales, hoc *Birretum* purpureum, sibi arrogarent, Paulus II. publica lege sancivit, ne quisquam *Birreta* coccinea, præter Cardinales ferret, ut testatur *Platina* in vita Pauli II. Et tam magnum Eminentie sacræ habetur insigne, ut speciem juris aggratiandi præ se ferat, si hoc *Birreto* Purpuratorum, mortis reus, ultimum supplicium expectaturus, tegatur, vid. *Muler* de Represent. Maj. Imper. P. II. c. 26. Membr. 7. fol. 847. n. 7. quem citat *Nevius* (D. Jo. Carl.) in Jure Clericorum C. I. p. 34. C. VIII. Nec non, in tanti fastigii signum hoc *Birretum* in peculiari Purpuratorum congregatione MDCCVII. evehumprehenditur, ut etiam coram Regibus illo caput testum retinere amplius non dubitent.

Episcopo-
rum atque

Confunditur vero plerumque cum *Birreto* Cardinalium, pileus Episcoporum, viridis *Galerus* & mitra bicornis quæ & *Infula* Abbates quoque

quoque insigniantur, de quibus, ne extra oleas vagemur, multa verba non faciemus. Videantur plura, apud *Anselmum Solerium* de Pileo passim, & apud Anton *Scappium*, de Birreto rubro dando S. R. E. Cardinalibus. Rom. 1592.

Abbatum pileus, cum Galero cardinalitio non confundendus.

§. 10.

Propius nunc his præmissis ad rem accedamus, de *Pileo* seu *Birreto*, *Academica dignitatis insigni* atque ornamento quædam commentaturi. Ut vero *Birrus* & *birrum*, vestimenti genus olim, tempore mediæ ævi fuit nominatum in viris majoris dignitatis sumptuosum, ita *birretum* ut diminutivum a *birrus*, eam vestis partem denotare dicitur, qua caput in honoris signum tegitur, ut docet, *Carolus du Fresne*, in Glossario Med. atque Inf. Latin. in v. *Birretum*. *Hermannus Conringius* in Antiquit. de vita Academica, Dissert. V. p. 59. observat, *Birretum* a Pontificibus Romanis ad Clerum & eruditos devenisse, & in Academiis præsertim epomidem Rectorum, purpuream Cardinalium Romanorum vestitum æmulari. Hanc ob rem, non dubitat, post *Pauli II.* Pontificis Romani qui A. C. 1478. obiit ætatem, primum hoc dignitatis quicquid est ornamentum in Academiis pervenisse. Non enim vero esse simile judicat, Academicarum Rectorum, ante Cardinales ipsos, hoc regio quasi schemate fuisse usos. Imo Dr. Jo. Alb. *Fabricius* Bibliographia Antiquaria, C. XXI. de Antiquitatibus Scholasticis & Academicis, §. II. sub. ipso Pontifice *Paulo II.* Academicæ vocabulum, pro scholis majoribus sive *studiis* ut vocabant *generalibus* atque Universitatibus primum usurpari coeptum esse scribit. Alii vero *odium Litterarum* maximum in *Paulo* deprehendunt, qui Hæreticos adeo pronunciarit, qui nomen *Academice* deinceps commemorarent, quique viros doctissimos sui temporis, *Pomponium*, *Latium*, *Platinam* &c. acerrime sit persecutus. *Spanhem.* Introd. in Hist. Eccl. Sec. XV. Sect. III. n. 40. Unde patet, Academicæ honorumque ac Insignium usum, esse *Paulo II.* antiquiorem. Quod insuper probatur, ex Nic. de *Clemangis* qui circa initium Sec. XV. jam floruit, libro de studio Theologico scribente: *Non Cappa quippe Doctorem facit, non Birreti magistratus impositio, non cathedra sublimior &c.* Plura de rubro Rectoris Magnifici pileo, enarrat *Biccus* de Pileis C. II. Th. 10. quem citat *Dn. Adr. Steger* l. c.

De Birreto Academico Rectoris Magnifici insigni.

§. 11.

Cum vero *Doctor birratus* seu *Birreto* donatus, sit persona, ex una trium facultatum publica, secundum prærogativas Academicæ concessas,

De Pilei seu Birreti usu ad

B

in promo-
tione Docto-
rali, ritu A-
cademico
solemni ge-
neratiim,

ad summos, sui ordinis, consequendos honores dignitate, legendique ac profitendi libertate publice donatus, videmus, ante Academiarum erectionem & confirmationem neque Doctoris, quales nunc habemus, titulum, neque *Birreti doctoralis* usum inveniri & defendi posse. Hinc *Gisenius* in Dissertationibus de vita academica P. II. Disp. VII. De gradu doctoris origine, *Dresserum* allegat ita differentem: Scholastici ordinis titulos ante edictum *Gratiani* Decretum & Petri Lombardi sententias non reperio usurpatos. Hujus enim Lombardi, qui sententiarum doctrinam recipiebant, & profitebantur, & *baculo* & *Doctoris* titulo ornabantur. *Baculi* enim traditione, muneris tituli que auctoritatem nanciscebantur. *Dresser*. Ifag. Hist. Mill. VI. P. I. C. I. de Scholast. Theol. p. 22. & 283. Claruit autem *Lombardus* jam A. C. 1141. teste Guil. *Caveo* in Chartophyl. Eccl. h. Sec. Ab hoc igitur tempore, distincti gradus docentium & discen- tium in Academiis esse ceperunt, nisi quod *Lyra* a Justiniano Imperatore in Proæmio Digestorum vocantur, qui annis quatuor Juri Civili operam dederunt, sicut *Prolyta*, qui in quintum annum disciplinae eidem dediti sunt, quos tanquam futuros Doctores, *Licentiatum* hodie nuncupari sentiunt Viri, Antiquitatum Academicarum non imperiti. Et observari dignum est, quod *Nazianzenus* in Monadia narrat, *Basilio Magno* tunc temporis in Academia Attica oblata esse a Doctoribus *pro more illius Sebole honoris & professionis insignia*.

Certum tamen insuper habetur, ante Lotharium Imperatorem Saxonem, distinctionem Academicam in quatuor facultates non inveniri, cum omnes sine discrimine docentes *Magistri* fuerint antea appellati. Vid. *Clement.* de Magistris & *Gisenius* cit. loc. §. 29. Cum vero Italia, a perpetuis bellorum tumultibus & armorum strepitu, inter quos leges filire dicuntur, coeperit respirare & studia quasi reflorescere, *Lotharius* Imperator, Scientiarum Professores, qui huc usque sine discrimine *Magistri* fuerant appellati, in Academia *Bononiensi* primus in peculiare distinguit ordines atque curavit, ut Professoribus trium superiorum facultatum *Theologiae, Jurisprudentiae & Medicinae, Doctoris*, artium autem Professoribus ac *Philosophis, Magistri* titulus daretur. Id probat Dn. Dr. *Lausius* de Academ. p. 68. 69. Hoc compertum habemus (scribens) *Lotharii* Saxon. Imperat. Rom. aetate, consuetudinem creandorum in Scholis Magistrorum & Doctorum, solemnibus caeremoniis cohonestari coepisse. Hic ergo *Lotharius II.* Imperator non armis solum sed legibus etiam

etiam Imperium decoravit, harum auctoritatem, Pandectarum opere in Apulia, in excidio urbis Amalphantæ reperto & Pisanis donato, dehinc Florentiam translato, quasi post liminio restituens, Interpretibus Juris Civilis honorem ac pretium singulare parare discipiens, illis titulum *Doctōris* solenni ritu dari conferrique jussit, ita, ut tandem titulus *Magistri* proprie solis Philosophis & artium Professoribus fuerit relictus. Hinc & origo arcessenda *Gradus Doctōralis* in Academiis conferri soliti, dignitatis hujus primum (autore non *Innocentio II.* Papa, sed eodem *Lothario Imperatore*) *Wenero* primo Juris Interprete atque Professore in Academia Bononiensi addente ritus, *Galeri* vel *Pilei*, *Annuli*, *Toga* &c. ex Romana antiquitate in hunc diem observatos. *Frid. Spanhem.* Introd. ad Hist. Eccl. N. T. Sec. XII. Jure autem Canonico ex æmulatione mox per Papas in scholas introducto, & hujus quoque Doctores renunciare placuit vel Magistros, qui id prælegere possent. Plura de hoc argumento in commentatione perpolitā Dn. Just. Christian. *Tbor-schmidii*, Past. nunc Annaburgens. tunc Ploens. in re antiquaria versatissimi, de Antiquitate & Dignitate Doctōratus Juridici A. O. R. MDCCXXV.

§. 12.

Cum autem Bononiæ, ut probavimus Jurisprudentiæ Doctores *Lotharii* Imperatoris gratia atque decreto, primitus crearentur, statim *Lu-* *Pilei* seu *Birreti* usus *retia Parisiorum* mos invaluit, eandem dignitatem Theologis, solenni in promotione Doctō- ritū conferendi. Hinc a Jure Consultis ajunt, ritum creandorum Doctōrum, ad Theologos Parisienses esse translatum, apud quos *Petrus Lombardus* primus inter Doctores Theologiæ collocatur, ut *Gifseius* docet extim. *Hermin.* Vult. in §. resp. n. 17. in fin. Instit. de J. N. Gent. & Civ.

Plura de origine Doctōratus Theologici legimus relata, apud b. Dn. *Urban. Godofr. Siber.* in Orat. de Antiquitate Doctōratus Theologici An. MDCCXXXIV. nec non in Progr. Dn. Joh. Erhard. *Kappii*, Prof. & Oratoris Lipsiensis meritisissimi de eadem materia, & in b. *Buddei* Orat. de origine Doctōr. Theol. Simulvero in promotione Doctōris Theologi *pilei* seu *Birreti* impositionem Seculo XIII. Lutetiæ Parisiorum in usa fuisse, probat *Bulæus* in Histor. Univers. Paris. T. II. p. 685. & Dn. Jo. Wilh. *Feuerlin*, Superint. General. Gættingens. de Studiis Scripturæ Sacræ per Doctōratum Theologicum a prima inde origine stabilito & propagato. Notandum vero est, quod *Doctores birrati* in quibusdam Academiis, uti

Parisienses Theologiae Doctores cum Lovaninſibus adhæruerint Magiſtri nomini adeo, ut *Magiſtri noſtri* appellari mallent, quo omnis quaſi doctrinæ cenſuram ſibi vindicare videantur. Unde evenit, quod in titulis aliquando publicisque ſcriptis, Doctores Magiſtri præferantur. Conſ. Jo. *Launoyus*, de *Schola Pariſienſi*, in libro de ſcholis celebrioribus C. LIX. Art. XI. ubi de Magiſtris in Theologia Regentibus & non Regentibus paſſim agit. Iſta vero Magiſtrorum vel Doctorem birratorum dignitas, Judæorum genti, per Germaniam atque Italiam ſalivam movit, ut & ipſi promotiones Doctorales inſtituerent, ſiquidem *Rabbini* vel plebeji *magiſtri* axioma, tenuè nimis illis videbatur. Creabant adeo viros, præcipua eruditionis laude florentes, in *Doctores noſtros*, ut Pariſinorum *Magiſtros noſtros* æmularentur. Ita hi *Morenu* ſummi ſunt *Rabbini*, qui integras provincias, in quibus Judæi verſantur diſperſi, doctrina regunt uſque jura dicunt ac minorum ordinum magiſtros, in Doctores & *Moranan* promovent, & præſertim in hac promotione Doctorali Theologica præter libri legis aperturam, manuum impoſitione utuntur, atque *birreto*, cujus vicem ſuſtinet: *אלית נדרל* *alles gadal*, velamentum capitis majus. Vid. *Buxtorf*. Synag. Judaic. Cap. XLVI. de Rabbitorum Promotionibus.

§. 13.

Color Birreti in promotione Doctorali variat.

Probata vero origine & uſu pilei ſeu *birreti ſacræ dignitatis inſigni*, de ejuſdem *colore* eſt adnotandum, quod in Academiis plerumque in promotionibus variare deprehendatur. Albo enim *Birreto* apud Anglos inſigniantur, qui ſupremam in Jure palmam ferunt, *Servientes ad Legem* dicti. Vid. *Spelmannus* Gloſſar. Archæol. h. v. Plerumque vero alias apud Jure conſuetos rubrum datur, cum Regibus & Magiſtrantibus terræ, purpura indutis, proxime in conſiliis adſint, apud *Medicos caruleum*, ne oculos in terram declinent, ſed in coelum, conſcientiæ memores, atollendos eſſe videant, apud *Philoſophos* vero *violaceum*, in humilitatis ſignum ut ſobrie philoſophentur, & apud *Theologos* maxime *nigrum* in mortis ſymbolum, docens, Theologum mundo debere eſſe deſunctum. Sed nihil certi ut diximus in Academiis, quoad *Birreti* & pilei honoris atque ſacræ dignitatis inſignis colorem, eſt ubique ſtatutum atque determinatum. Sic *Medici* quandoque *rubro* ornantur, ut monſtrat, Jo. Frid. Meyer diſſert. de Doctorat. Theol. Kil. 1699. Arg. 31. p. 12. & *Theologi* in Academia Lipſienſi cum *Jure Conſultiſ purpureo*, teſte *Stegero* ſæpius citato

citato, in laudatissima Dissertatione: De Purpura Sacrae Dignitatis insigni. Multa insuper, de fine atque Typo, *Birreti* atque *pilei Doctoralis* refert *Limneus* in Jur. Publ. J. R. G. T. III. Libr. VIII. §. 91. 92.

§. 14.

Non desunt, qui honorum academicorum titulos atque dignitatis insignia, praesertim *birretum Doctorale Theologicum*, siccis habere atque suffragillare injuste allaborarunt. Inter hos primum tenet locum *Carolostradius*, qui postea quam ab Ecclesia Wittenbergensi secesserat, non amplius *Doctor*, sed *Frater Andreas* dici maluit. Et cum ipse ante secessionem *Johannem Westermannum* & *Sadoschalium Grapium* Doctores crearet, publice est testatus, se posthac nemini gradum collaturum ne sciens ac ne prudens faciat contra Christi mandatum, Matth. XXIII, 8. *Nolite vocari Rabbi: unus enim est Magister vester.* Sed mutavit tamen *Carolostradius*, Basilea agens, hanc praconceptam, quam foverat, opinionem, & non aliis solum suavor fuit assumendi birreti Doctoris Theologi, sed ipse post biennium *Wolfgangum Wissenburgium* Theologiae Doctorem solenni ritu renunciavit, ut testatur, Sam. *Werenfels* in opusculis Theol. Philos. Philologicis, p. 304. ut selectae eruditionis Theologus, D *Christi Fridr. Boernerus* observat in Programmate in promotionem Doctoralem quinque Licentiariorum Lips. 1741. ejusd. pag. XX.

Zwinglius porro, eodem modo ut antea *Carolostradius* in signe & titulum *Doctoris Theologi* sprevit cum in Responsione ad epistolam *Bugenbachi* se cum fastidio legere, ait, illos titulos: *Doctor* & *Professor Theologiae*. Eadem chorda oberrare vidimus *Rudolphum Gualtherum* in Cap. XXI. Joh. p. 407. *Paulus*, inquit, quem *Christus* electum organon dixerat, *servum Jesu Christi* se nominare solet. Confer cum ista modestia illorum insolentiam ac fastidium, qui titulos Magnificos prece & pretio reddunt, ut apud rude vulgus sese venditent & facile videbis, quo Spiritu isti agantur. Sunt hi *Judeorum* similes, quos graviter accusat *Christus*, quod *Magistri* & *Doctores* dici vellent &c.

Maner tamen *birreto Doctorali Theologico*, sua dignitas in gratiam venerandae Antiquitatis, potestate publica Caesarea, in autoritatem & honorem ordinis sui, ad singulare, studii sacrarum litterarum praemium & incitamentum collato. *Salvator* enim taxat saltem *Judeos*; in verba *Rabbinorum* suorum, relicto magisterio verbi divini jurantes, non autem

improbat sacrae dignitatis insignia & *Doctōris birrati* titulum. Alias etiam nec Pater quis alius, nisi Deus & Dominus noster Jesus Christus esset appellandus, cum idem dicat de Patris titulo, quod de Magistri & Doctōris nomine protulerat interdictum: *Nolite Patrem vocare vobis super terram. Unus enim est Pater vester, qui est in Calis.*

Et facultas Theologica in pœnam, a *Synodo Constantiensi*, in abutentes privilegio Magistros & Doctores creandi fancitam, non incurret, cum *birretum* Doctōris Theologi insigne, nemini, nisi qui præsit officio sacro, hanc dignitatem correspondenti & merenti, speciminibus antea editis, tradat, & quisque insuper Doctōrum Theologiæ, quo muneris ratio habeatur, vitæ innocentia aliis erit exemplo ita, ut gradus cum munere sacro non sit neque unquam fiat contentui, sed honori, atque in Ecclesiæ cedat emolumentum.

§. 15.

Pileus do-
ctoralis
Theologi-
cus in No-
bilitatis at-
que liberta-
tis signum.

Tandem in libertatis, non servitutis Theologiæ signum, *pileus* seu *birretum* datur *Doctōri Theologo*. Pileus enim *nobilitatis* & acceptæ *libertatis* olim ferebat symbolum. Servi enim nudo capite incedere cogebantur. Nota sunt, quæ Persius canit sat. V. *Hæc mera libertas, hæc nobis pilea donant.* Et inde factum esse vidimus, ut Res publicæ, quæ ex jugo in libertatem plenam pervenerunt, in hunc usque diem, pileo honoris & libertatis signi utantur, uti Respublica Hollandica, cujus numi sæpius hac libertatis corona inveniuntur exornata. Vid. *Bizot Histoire Metallique de la Republ. de Hollande*. Idem observat Respublica Helvetica, ab Imperio Austriaco, ut Hollandica ab Hispanico avulsæ. In numis vero Reipubl. Venetorum, quod notabile est, pileus libertatis non occurrit, rationem, quod illo non utantur, ajunt esse, quia in libertate quasi nata videatur, nunquam servitutis jugum passa. Dux tamen hujus Reipublicæ *pileum*, libertatis pileo non ablimilem, in Independentiæ signum capite gerit. De more insuper, Pileo in hasta olim proposito ad libertatem proclamare & quæ sunt alia, de libertatis pileo, vid. ap. *Alex. ab Alexand.* Genial. dier. Libr. IV. C. II. de tesseriis ac signis militaribus cum Not. Andr. *Tiraquilli* p. m. 445.

Hinc ergo *Doctores birrati*, pileo nobilitatis ac libertatis signo accepto, ut *pileati* seu *graduati*, Nobilibus cœquantur, & libertate publica explicandi & docendi sacras literas donantur. Quod postterius attinet,

net, tempore inprimis Reformationis Lutheræ Parisiorum ordo *Biblicorum* & *Sententiariorum* originem accepit, ex quibus illi, sacras litteras per *Post illa*, uti vocabantur, seu per glossas in fidei simplicitate explicabant, hi vero, sublimiora in Theologia secundum Petri Lombardi Sententias, tractabant. Unde *Baccalarii Biblici & Baccalarii Sententiarum* exoriebantur. Vid. *Bouleus* in *Histor. Univers. Parisiens.* T. II. p. 657. seq.

Nomen verò *Doctōris Sacræ Scripturæ* diserte reperitur, in *Aquinat.* Commentar. in Epist. ad Tit. C. I. Lect. III. sub fin. Per hoc (ait) intelligimus, quod *Doctōr Sacræ Scripturæ* accipit testimonium veritatis, ubicunque venerit &c. Et *Innocentius III.* Pontifex qui Ao. 1198. ad dignitatem Pontificalem ascendit, ad Academiam Parisiensem perferibit: *Doctōribus sacra pagina, Decretorum & liberalium Artium.* Vid. *Bouleus* l. c. T. II. p. 182.


Lutherus *birretum*, Doctōris Theologi insigne, adipiscens, non libros sententiarum quærebat explicandos, sed libertatem docendi & explicandi sacras litteras, uti initium Promotionis Doctōratus Theologici, in *Matricula Vitembergensi*, hisce verbis describitur: Lutherus suchte Anno 1509. den achten Merck um die Viebel an, und wurd den folgenden Tag darzu gelassen. Vid. *Unschuld. Nachr.* an. 1713. p. 510. Et ipse *Magalander*, suis hoc disertis verbis, declarat, Anno 1514. decimo sexto Mensis Junii ad *Conventum Eremitarum S. Augustini*, scribens: Et habe nicht auf die Sententias sondern auf die Bibel geschworen. Vid. Epist. Lutheri ab *Aurifabro* collectæ T. I. fol. 7. Et ab hoc tempore in *Academiis Evangelicis Lutheranis*, non ut ante Reformationem & adhuc in *Academiis Romano-Catholicis*, Doctōres Theologiæ sententiarum, sed sacra scripturæ, cum solenni, *Birreti* impositione, ad summos in Theologia capessendos honores & publica, sacras litteras explicandi & profitendi libertate donari creari solent. Uberius hæc exposita sunt in progr. Dn. Dr. J. W. *Feuerlinii* Superint. Gener. Göttingens. de studiis scripturæ S. per Doctōratum theologicum a prima inde origine stabilito & propagato.

* * *

Tantum VIR MAXIME REVERENDE de *Pileo* seu *Birreto* sacra dignitatis insigni, TIBI, Doctōri Theologo, jam ex merito, more majorum,

rum, solenni ritu imposito, gratulabundus perscribere volui. Deum, cujus sumus & cui infervimus, *Amice ac Frater* in Christo Archi Episcopo nostro, dilectissime, veneror, ut sapientia sua ac robore, instar nimbi divini, caput *Tuum* undiquaque ambiat atque ornet, tueatur, custodiat & protegat. Velit summum Numen, *Pileum* seu *Birretum*, quod accepisti, *Doctore Theologico*, in sui altissimi nominis honorem Tui que splendorem ac sacrae, quam geris, dignitatis ornamentum quam diutissime capiti Tuo conservare, ut pileum purum TIBI impositum, quo condecoratus, adstante *Jovæ* angelo, in viis Dei, ad nestoreos usque annos & in posterum honore & fructu incedere, disciplinam divinam atque Ecclesiasticam, pro muneris Episcopalis gravitate, conservare illibatam, ædem Domini regere ejusque atria custodire valeas, donec tandem TIBI, inter coelites, Deo adstantes fidelissimos servos, aditus dabitur, atque pileo, sacrae dignitatis in hac vita insigni deposito, justitiae corona, in illa die, cum omnibus, qui Christi adventum amaverint. Quod reliquum est, ut in ea, qua erga me coepisti, benevolentia atque amicitia, ulterius pergas meque Tui imposterum habeas corde ac litteris commendatissimum, peto atque rogo. Vale. Dabam Liebenwerdæ. Cal. Decembr.

Anno O. R. MDCCXLIV.



94 A 7368


ULB Halle
002 928 582

3



10 17





DISSERTATIO EPISTOLARIS HISTORICA,
DE
PILEO SEV BIRRETO,
SACRAE DIGNITATIS, INSIGNI,

QVA
VIRO MAXIME REVERENDO, DOCTISSIMO,
DOMINO
MARTINO GRVLICHIO,

PASTORI ECCLESIAE TORGAVIENSIS PRIMARIO,
EIVSDEM DIOECESEOS CIRCVMCIACENTIS SV-
PERINTENDENTI, LYCAEIQVE TORGAVIENSIS INSPECTORI,

AMICO SVO INTEGERRIMO,

BIRRETVM DOCTORALE THEOLOGICVM,
VT SACRAE DIGNITATIS INSIGNE,
VITEMBERGAE D. XIX. NOV. MDCCXLIV.

SOLENNI RITV CAPESENTI,

EX ANIMO GRATVLATVR,

RVDOLPH. FRID. DE VVICHMANNSHAVSEN,
PASTOR LIEBENVVERDENS. ECCLESIAE
EIVSDEMQUE DIOECES. SVPERINT.

TORGAVIAE, LITERIS PETERSELLIANIS.

H. D. Hennig